



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De patriarchis, & primatibus. clv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

**P**atriarchæ verò vel primates accusatū discutientes episcopum, non ante sententiā proferant finitiuam, quàm apostolica fultus autoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos conuincatur testes, qui minores nō sint numero, quàm illi discipuli fuerunt, quos dominus ad adiumentum apostolorum eligere præcepit.

*De patriarchis & primatibus. Cap. CLV.*

**I**n illis verò ciuitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum, atq; primi legis doctores erant, episcoporum primates poni, vel patriarchas, qui reliquorum episcoporum iudicia, & maiora, quoties necesse foret, negocia in fide agitent, & secundum domini voluntatem sicut sancti constituerunt apostoli, ita vt ne quis iniuste periclitaretur definirent.

*De vocatione accusati episcopi. Cap. CLVI.*

**V**ocatio enim ad synodū, iuxta decreta patrum canonica, eius qui impetitur, rationabilib<sup>9</sup> scriptis per spatium fieri debet congruum atque canonicum. Quia nisi canonicè vocatus fuerit suo tempore, & canonica ordinatione: licet venerit ad conuentum, in quacunque necessitate, nisi spontè voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus, quoniam nec seculi leges hoc permittunt fieri, quanto magis diuinæ?

*Vt primates de accusato episcopo non ante sententiam proferant damnationis, quàm aut reum seipsum confiteatur, aut canonicè per innocentes testes conuincatur. Cap. CLVII.*

**P**rimates quoque accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quàm apostolica fretus autoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes & canonicè examinatos regulariter testes conuincatur. Aliter censemus irritā esse & iniustam episcoporum dānationē, & idcirco à synodo retractandā: ita vt oppressis ab omnibus in cunctis subueniatur causis.

*Qualis primas esse vel quid agere debeat. Cap. CLVIII.*

**C**oncilium verò catholicorum episcoporum admodum præcipite, vt primatem nō ex ordine loci, postpositis vitæ meritis, faciat, quoniam apud dominum non

*Ex decr. Zepheri ni papæ. omnibus per Siciliam constitutis episcopis missis, cap. 2.*

*Ex decr. Clemētis pap. ca. 9*

*Ex epist. Damasi papæ, ad Stephan. & ad concil. Africæ.*

*Ex epist. Felicis pæ. Paterno episcopi. miss. cap. 4.*

*Ex re. ad Gēnadiū Patriciū et Exarchum Africæ.*